

ἀνάκλασις / *anaclassis*

ΑΡΤΗΘΝ. GL VI 93. 11 sqq. unde plerumque recipit (*scil.* ionicus ἀπ' ἐλάσσονος) in principio versus bacchium <a> longis incipientem et paenem tertium, quorum uterque quinque temporum spatio extenditur [catalecticum autem fit anapaesto aut eo qui amphibrachys vocatur]. huic, cum esse sena tempora in singulis coniugationibus, utpote ionicum, oporteat, necessario trochaeus aut eius basis adnectetur ea contemplatione imminuta, ut dipodiae superioris tempora ex subditis compleantur. id Graeci ἐπίτευξι, id est coniugationem, vocant, eo quod priorum pedum basin uno tempore breviorum sequentis syzygiae compleat syllaba, qua pro brevi, licet natura longa sit, utpote prior trochaei, accipienda est, siquidem unius temporis supplemento ionica basis indigere videatur. etenim huic metro rhythmica natura accidit. huius modi autem inter se συζυγίας passionem sive communionem musici ἀνάκλασιν vocant et metra, siqua forte adverterint talia, anaclomena appellant, quod retrorsum inclinentur, ut in quibusdam saltationum gesticulis nostra corpora pone pandantur. sed ut exemplo doceam, erit hoc colon anaclomenon:

Cybele rotabo crines.

hic 'ro', licet sit brevis, pro longa accipietur, 'Cybele ro' nam detractum unum tempus sequentis syzygiae ex initiali syllaba huic impertietur, ne fiat prima syzygia pentachronos, sequens heptachronos. igitur secundae coniugationis prima syllaba, quae debet esse brevis, mutatur ea condicione, ut vim suae proceritatis quartae syllabae brevi, quae est ultima primae coniugationis, impertiat; et ipsa quidem brevis remanet facta unius temporis, superiorem autem a se syllabam, quae fuerat brevis, commercio suae proceritatis extendit. atque ita fit ionicon anaclomenon, ut est:

Paphias amor columbas.

nam 'mor', secundae coniugationis initialis syllaba, quae brevis natura, utpote in ionico a minore, esse deberet, derivato in se superioris syllabae tempore ἀνάκλασει inter syzygias facta trochaicam basin ionico subdidit, quae basis <inter> utrasque syzygias, id est primam et secundam, sub hac lege versabitur. at Iuba noster (fr. 119 Hense), qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit, insistens Heliodori vestigiis, qui inter Graecos huiusce artis antistes aut primus aut solus est, negat hoc vitium, ut quidam adserunt, rhythmicum fore, sed magis metrica ratione contingere, quod per ἐπιπλοκάς, id est metrorum inter se amplexiones, ut supra docuimus, plerumque evenit. nam τετραδικὴ ἐπιπλοκὴ et δυαδική, id est quadrua et binaria amplexio, huic versui, qui ionicus anaclomenos vocatur, diversitatem varietatemque fecerunt. etenim antispastica et choriambica et utraque ionica metra de quadrua amplexione subsistunt; iambica vero et trochaica, sicut supra docuimus, de binaria. evenit autem ut choriambica et antispastica iambicis coniugationibus, ionica vero trochaicis, quae sunt diversarum amplexionum, misceantur. unde accidit ut confusione eorum metrorum, quae ex diversis amplexionibus informantur, huius modi



ἀνάκλασις / *anacclasis*

inter syzygias passio sive communio, quae anacclasis a musicis dicitur, merito eveniat et varietas versui de amplexionum differentia fiat. nam si puro choriambico primam decutias syllabam, fit omne quod residuum est ionicum a minori. et rursus si ionicum a minori syllaba una mutiletur, quod remanet antispasticum deprehendas. item ablata antispastico prima syllaba ionicum a maiori perficiet. verum hoc tunc accidit, cum purus est choriambicus versus. at enim contra cum interpositae iambicae coniugationes reperiuntur, lex illa quadruae amplexionis infringitur, diversique generis admixta amplexione nascitur ista varietas, ut praecedens colum, cum esse sena tempora in singulis coniugationibus oporteat, pentasemum fiat, sequens vero heptasemo subsistat. recipit autem molossum et anapaestum, sed raro iuncto pariambo et dactylum. feritur autem per dipodiam. [E.C.]